

bentem, offendiculi plenum dogma Poiretti est, quod cum Weigelianis & Böhmijs commune habet. Frontem perfricant amantes istiusmodi Dogmatistæ, & cum semel verecundiæ limites transgressi sint, gnaviter impudentes permanent, suamque inebriationem ebulliunt pudendam. **HOMINIS TRES PARTES ESSENTIALES** ita in vulgus Enthusiasticum percrebuere, ut non nemo Trinitatem humanam inde exsculpere fuerit conatus. Quin furibundus Autor Tractatus Tutonici, des hellenchtenden Herzen: Spiegels / hanc trichotomiam loco baseos aut fundamenti posuit, ut totam maniacæ Theosophiæ suæ machinam ei superimponeret. Et vero quid frequentius est, per spiritum non superiorem quandam intellectus & voluntatis facultatem, quæ circa spiritualia versatur, ab amatoribus horum dogmatum intelligi, sed aliquid intimius anima, intellectu & voluntate, aliquid sublimius fide, aliquid excelsius notitia fiduciali, divinitus excitata & revelata, quo res divinas homo apprehendat? Quæsi, quid sit illud? cum ignarissimis scire sese profitentur, aut certe dicere & ex Verbo Dei probare non possunt.

I.

IDEAM HOMINIS MYSTICI multi in eo positam volunt, ut Platonem redivivos, imo & Stoicos, Absolutissimum fati sui tuentes, nullo negotio animadvertas. Evacuatus esse putatur Mysticus noster ab omni affectuum strepitu, ab omni tum intellectus, tum voluntatis operatione, legi factorum adamantinæ astrictus, nulli factori oborto cedens, aliorum injurias & contumelias exantlare impense desiderans, tam rationi, quam divinæ revelationi, in Verbo expositæ, contraria summa cum prurigne pertendens, omnem amorem sui ipsius, quantumvis sub Deo a nobis ad Deum ipsum jubentem ac præ nobis amandum dirigatur, & ad æternam nostram ipsorum salutem feratur, abominans. **JEHOVA**, audiunt Oligero Pauli, Visionistæ Dano, Philadelphi, ex Christianis & Judæis compositi, coetus Ecclesiastici. **IGNIS**, gradus viæ unitivæ sine Verbo accensus: prout etiam **ILLUMINATIO SINE VERBO**, immediata revelatio **JESU CHRISTI** in anima Rosenbachio vocata; irradiatio solis Kuhlmanno visa; cui refractio radiorum

diorum